

que iurisdictionis loca. In hac sunt *Hispania, Gallia, Germania, Italia, Hungaria, Transsylvania, Dalmatia, Graecia, Polonia, Lituania, Moscovia, Roxolonia, Danica, Suecia, Noruegia*. Sunt & insulae in Oceano Boreali. *Anglia, Scotia, Hibernia, Islandia, Frislandia*, aliaeque complures. Alibi aliae. In mari Mediterraneo sunt *Balcares Maiorica & Minorica, Corsica, Sardinia, Sicilia, Melita, Corcyra, Crota*, pluresque aliae, quibus infinita vis hominum degit. Horum omnium virtutes recensere, nimium foret. Vitia (quis autem ijs caret?) breuibus aliquot dictis circumsferuntur: quae attexere libuit, *Franci*, simplices, rustici, vehementes. *Bauari*, sumptuosi, commessatores, procaces. *Suui*, leues, loquaces, gloriosi. *Turingi*, diffidentes, sordidi, contentiosi. *Saxones* dissimulatores, versuti, contumaces. *Belgae*, equestres, delicati, teneri. *Itali*, superbi, vindictae cupidi, ingeniosi. *Hispani*, fastuosi, consulti, rapaces. *Galli*, elegantes, intemperantes, temerarij. *Cimbri*, magni, seditiosi, horribiles. *Sarmatae*, edaces, superbi, furaces. *Boemi*, inhumani, nouatores, praedatores. *Ilyrici* mobiles, maligni, tumultuatores. *Pannoni* asperi, superstitiosi. *Graeci* miseri. Est & aliud haud minus lepiduum. Pons Polonicus, Monachus Boemicus; Miles Australis, Sueuica monialis; Italica deuotio, Prutenorum religio: Teutonum ieiunia, Gallorum constantia, Nihil valent omnia.